



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 136. Et alia multa blasphemantes, dicebant in eum. v. 65.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

§. 136. Et alia multa blasphemantes, dicebant in eum. v. 65.

Quæ erant alia multa? nisi iniuriæ, obiectiones, accusationes, execrationes, blasphemiarum cogitet quisque ex his quæ iam dicta sunt. Nimirum, quod ipse non posset esse Deus, nec filius Dei, minimè Messias, quem expectarent Iudæi imò quod esset patriæ proditor, seductor gentium & Iudæorum, Dæmonium habens: Hypocrita, non Propheta, Fabri filius, vaser, iniquus, vini potator, & qui pervertere studeret legem Moysis & Iudæorum; fidem à Patribus & Prophetis diuinitus datam &c. tacebat interea Dominus noctem eam supremam, vitæ mortalis traducens in oratione pro ijs ipsis tortoribus nobisque omnibus Deum Patrem exorans, in eius vniuersæ sacratissima voluntate atque obedientia acquiescens; ex quo & aliud adijciendum genus contumeliarum, cum eius summo cruciatu coniunctum, nullam tomno morulam corpusculo fello permitterent. Quis talia fando temperet à lacrymis? quid his contumelijs potest adæquare in faciem illam, quam fluctus maris reueriti sunt; quam sol in cruce videns, radios occultat, spuebant, cædebant explentes inimicam rabiem; sane vel cogitatu horrendum est homini, quantumuis res mox morituro talia irrogari: nedum innocentem patri ab ijs quos summis affecerat beneficijs, ab infamibus vilissimisque ministris? Quid? Deum ipsum ab hominibus, eorum salutis causa venari! sed omnia hæc in Iudæorum caput reciderunt, vestis sacerdotalis eis adempta; oculis velamen impositum; facti sunt in derisum & improperium omnibus nationibus in præsentem diem.

Nos igitur, o patientissime Iesu, Domine & Rex cæli & terræ, nos te veneremur ac supplices adoremus, tuæque hæc ludibria ac tormenta animarum nostrarum ornamenta sint ac munimenta; tuis gloriemur opprobrijs; tuis iuniamur meritis; ex hac nocturna precatione & illusionem certam spem salutis, & expectationem gloriæ sempiternæ consequamur. Amen,

§. 137. Et ut factus est dies. v. 66.

Crederes forte hæc, pie lector, Christo datam aliquam requiem à vexationibus: sed nocte tota hac, nec custodes, nec Iudices, sua voluntate; neque Dominus noster aliena malitia, per momentum aliquod quietem habuit.

Consolate te Christiane si vel ab immiti Domino, vel hoste vel superiore, vel alijs causis etiam obedientia grauaris, si requies tibi non conceditur